

fessarius illum interrogaret ut de consuetudine peccandi, de vocatione, etc., judicaret; aliquando vero, juxta multos, venialiter tantum peccaret, si videlicet confessarius notione hujus peccati opus non haberet, quia tunc claves Ecclesiæ graviter non offenduntur. 2° Qui mentitur negando peccatum veniale, probabiliter mortaliter ordinarie non peccat, quia gravis non fit injuria sacramento. Ita de Lugo, Layman, Sylvius, P. Antoine, Billuart, S. Liguorius, etc., contra plures alios. 3° Qui mentitur confitendo peccatum mortale quod non admisit, mortaliter peccat, propter injuriam sacramento illatam. 4° Si veniale tantum sibi imponeret, communiter dicunt theologi illum solummodo venialiter peccatum, nisi, ait Sylvius et cæteri post ipsum, falsum hoc peccatum tota esset materia sacramenti: tunc quippe sacramentum voluntarie faceret nullum, quod semper grave est peccatum. 5° Mentiri in confessione circa res ad sacramentum non pertinentes, est peccatum grave aut leve, prout materia est gravis aut levis, juxta regulas quæ in Tractatu de Decalogo traduntur.

Attamen mendacium intra confessionem factum, cæteris paribus, est gravius, quia malitiam induit sacrilegii, et idcirco, etiam ubi veniale est, suspectæ nobis videntur confessiones ejus qui deliberate sic mentitur.

§ IV.— An peccata dubia sint declaranda.

Triplici modo peccata possunt esse dubia, scilicet 1° dubio facti, si nempe dubitetur an peccatum fuerit commissum; 2° dubio juris, si dubitetur an peccatum certo commissum sit mortale vel veniale; 3° dubio declarationis, videlicet, si quis dubitet an peccatum certo commissum et mortale declaraverit, necne.

In triplici hoc casu peccata dubia declaranda sunt: nam cum detur obligatio confitendi peccatum mortale, non licet periculo tale peccatum omittendi se exponere: attamen qui peccatum dubium omitteret, tali periculo evidenter se exponeret. Ergo.

Hæc tamen non dicta sint pro scrupulosis qui meras anxietates, omni fundamento destitutas, pro veris dubiis

sumere solent, et qui aliunde, ob incommoda inde proventura, ab integritate materiali eximuntur: hortandi sunt ergo ut a dubiis, maxime si de internis agatur, abstineant, et certa duntaxat confiteantur. Si forte quædam gravia inter dubia existunt, nihilominus vi absolutionis rite concessæ remittentur.

Quæritur 1° an absolutio super peccatum dubium concedi possit.

R. 1° Si dubitetur an peccatum, certo commissum, sit mortale, vel an fuerit declaratum, absolutio super illud concedi potest, modo adsit contritio, siquidem peccatum veniale aut peccatum jam remissum est materia sacramenti sufficiens. 2° Si vero dubitetur an peccatum sit commissum, absolutio concedi non potest, nisi aliud declaretur certo commissum, sive veniale, sive jam remissum, cujus habeatur contritio; alioquin materia esset dubia: absolutio autem materiæ dubiæ applicari non potest extra casum necessitatis: ergo.

Quæritur 2° an pœnitens qui confessus est peccatum ut dubium illud declarare teneatur, si advertat esse certum.

R. 1°. Si confessus est peccatum mortale ut dubium dubio declarationis, dicens se dubitare an illud confessus fuerit, evidens est quod ad novam declarationem non teneatur, etiamsi postea advertat se illud prius non declarasse; illud enim clavibus Ecclesiæ subjecit ut mortale.

R. 2°. Si declaraverit peccatum ut dubium an esset mortale vel veniale, nonnulli docent theologi non dari obligationem illud postea declarandi ut certum; quia confessarius de illo judicans, intentionem suam ad solam qualitatem venialis non restrinxit. Ita *Dens*, t. 6. Tutius est tamen illud iterum declarare: talis est praxis timoratorum etiam scrupulis non laborantium. Ab ea opinione recedere nolumus, et multo minus si ageretur de dubio facti.

Quæritur 3° ad quid teneatur qui bona fide confessus est peccatum, sive mortale sive veniale, quod non commisit.

R. Ad nihil tenetur, non enim peccavit falsam hanc

declarationem faciendo, ut supponitur; aliunde peccatum suppositum non est materia sacramenti. Ergo.

§ V. — De confessione peccatorum quæ jam fuerunt declarata vel inculpabiliter omissa sunt.

Confessio potest esse nulla vel ex parte confessarii, vel ex parte pœnitentis.

1° Ex parte confessarii, quod pluribus modis fieri potest, scilicet 1° defectu ordinis, ut si fingat se esse sacerdotem, vel invalide fuerit ordinatus; 2° defectu jurisdictionis, secundum id quod infra dicemus; 3° si absolutionem non concesserit, aut formam essentialiter mutaverit; 4° si intentionem actualem aut saltem virtualem absolvendi non habuerit; 5° si ob surditatem, somnum aut distractionem, nullum peccatum pœnitentis intellexerit, quia tunc humano modo non egisset: secus dicendum foret si, licet plura non intellexisset peccata, saltem unum recte advertisset. *Sic communissime theologi.*

2° Ex parte pœnitentis, quod multis etiam modis contingere potest, videlicet: 1° si ex gravi negligentia in discutienda conscientia, peccatum mortale accusare omiserit; 2° si inter confitendum mortaliter peccaverit, vel peccatum realiter commissum negando, vel mortale supponendo, etc. 3° si dolore requisito caruerit; 4° si firmum non habuerit propositum non peccandi de cætero, id est, saltem omnia mortalia perpetuo vitandi; 5° si accipiendo pœnitentiam a confessario impositam, intentionem non habuerit eam implendi; 6° si explicitam non habuerit fidem mysteriorum ad salutem necessitate medii requisitorum; 7° si ex fine mortaliter malo confessus fuerit, v. g., si ex sola hypocrisi confessarium ignarum, caducum, laxatum, qui peccata non intelligeret, aut convenientem satisfactionem non imponeret, consulto requisierit.

PROPOSITIO.

Quacumque de causa nulla fuerit confessio, iterum declaranda sunt peccata.

Prob. 1° unanimi consensu omnium theologorum; 2° ra-

tionem. Ideo enim jure divino necessaria est confessio, ut remittantur peccata et obtineatur justificatio: at ubi confessio fuit nulla, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, peccata non fuerunt remissa: ergo semper urget præceptum divinum.

Quoad modum confitendi, vel novus aditur confessarius, et omnia singulatim declaranda sunt peccata, quasi nullatenus fuissent declarata; vel apud eundem confessarium iteranda est confessio: in posteriori hoc casu, vel confessarius statum pœnitentis sufficienter recordatur, ut convenientem satisfactionem injungere possit, et tunc sufficit quod peccata jam declarata modo generali iterum declarentur, dicendo, v. g.: De omnibus peccatis meis tibi, pater, jam declaratis, iterum me accuso. Si vero confessarius delicta prius declarata nullo modo recordetur, saltem præcipua distincte confitenda sunt, ut status pœnitentis iterum notus fiat: ampliori declaratione opus non est, siquidem prior confessio fuit sacramentalis, et accusatione generali fit actualis.

Cæterum, advertendum est fideles ad repetendas confessiones non cogendos esse, nisi moraliter certum sit illas esse nullas, vel saltem id iudicio viri prudentis valde sit probabile: tale quippe onus, a sacro tribunali per se removens, sine gravi fundamento imponi non debet. Ita *S. Ligorius*, l. 6, n. 505, et plurimi apud ipsum, contra *P. Antoine*, qui solum requirit dubium ad hoc ut confessio iterari debeat.

Queritur 1° quandonam peccata mortalia inculpabiliter omissa in confessione declarari debeant.

R. Seclusa sacre Eucharistiæ susceptione, quædam concedenda est latitudo: etenim cum confessio fuerit valida, præcepto ecclesiastico de annua confessione facienda satisfactum fuit: restat ergo præceptum divinum peccatum istud clavibus Ecclesiæ subjiciendi: sed præceptum istud non statim et sub gravi obligat: ergo.

Quantum autem concedi possit temporis spatium, determinare non audemus: arbitramur tamen eum qui singulis mensibus vel crebrius confiteri solet, sequentem

tuto expectare posse confessionem absque peccato veniali.

Diximus *seclusa sacrae Eucharistiae susceptione*; quia ratione legis ecclesiasticae de confessione sacrae Eucharistiae praemittenda, quaedam nascitur difficultas de qua in Tractatu de Eucharistia agitur.

Quæritur 2^o an pœnitens distincte confiteri teneatur peccata jam alias confessario nota?

R. Quidam docuerunt tunc sufficere ut pœnitens generali formula se accuset, dicendo, v. g. : De peccatis quæ tibi historice narraui, vel quæ alias didicisti, me accuso; alii vero communius accusationem distinctam requirunt, quia alioquin non esset confessio distincta vere sacramentalis, qualis præcipitur. Ita S. Ligorius, lib. 6, n. 502.

§ VI. — De confessione generali.

Confessio generalis est recensio vel repetitio plurium confessionum : potest esse totius vitæ, id est, omnium, peccatorum post Baptismum commissorum; vel alicujus temporis, v. g., unius anni vel plurium annorum; potest adhuc esse necessaria, utilis vel nociva.

Est necessaria, quando præcedentes confessiones fuerunt nullæ, incipiendo a tempore quo prima facta est confessio nulla; patet ex modo dictis.

Utilis est in præcipuis vitæ Christianæ epochis, v. g., tempore primæ communionis, electionis status, ut ante matrimonium, ante susceptionem ordinis sacri, ante professionem religiosam, quando quis ab erroribus aut peccandi habitibus sincere reversus, firmum init propositum sancte vivendi. Ita S. Franciscus Salesius; *Introduction à la vie dévote*, 1 part., cap. 6, et communiter theologi ac vitæ asceticæ actores.

Est autem nociva, quando rationabiliter timentur scrupuli et anxietates quæ conscientiam torturæ aut pacem cordis ablaturæ sunt : imo, ubi talia metuenda sunt incommoda, ne quidem permittenda est in dubio de validitate præcedentium confessionum, quia præceptum divinum

confessionis ad integritatem materialem cum tanto incommodo non obligat. Caveant igitur confessarii, præsertim juniores et timorati, ne pœnitentes ad confessionem generalem facilius compellant vel etiam admittant : verum pari sollicitudine timeant ne pigritia aut laxitate eam præcipere negligant.

Quidam theologi, ut molliores nusquam habiti, inter quos continuator *Tournely et Denis*, docuerunt aliquando non monendum esse pœnitentem de obligatione præteritis confessiones iterandi, si nempe bona fide arbitretur eas esse validas, ut in casu relapsus et maxime in casu ignorantia mysteriorum quorum fides explicita ad justificationem absolute necessaria est, facile contingere potest, et si aliunde præsumatur eum admonitum confessionum iterationi non consensurum; si enim recte sit dispositus, peccata ejus præterita in actuali confessione indirecte remittentur, proindeque saluti ejus non officient; dum, e contra, monitio intempestiva eum a via salutis retraheret. Ergo. Attamen prudens confessarius satagere debet ut opportunis quæstionibus declarationem præteritorum peccatorum, saltem aliquo sensu, pro posse suo obtineat, et sedulo inducere pœnitentem ut de omnibus peccatis vitæ suæ generaliter se accuset atque sincere conteratur.

Quæritur 1^o quomodo fieri expediat confessio generalis.

R. Plurimi dicunt expedire ut vita in certas dividatur epochas, v. g., ab usu rationis ad primam communionem, a prima communionem ad electionem status : verum experientia constat breviorum et faciliorem esse viam si statim fiat declaratio secundum ordinem mandatorum Dei et Ecclesiæ, peccatorum capitalium et obligationum status, dicendo, v. g. : Tali ætate sacrum Dei nomen blasphemare incepi, illud decies circiter singulis hebdomadis sic pronuntiare solebam usque ad annum ætatis meæ trigessimum, etc.

In hujusmodi confessionibus, sicut in aliis confessionibus magnorum peccatorum, parum curandum est de peccatis venialibus quorum declaratio non est necessaria, et quæ aliunde in iudicium confessarii vix influunt.

Quæritur 2° quot vicibus ordinarie absolvenda sit confessio generalis totius vitæ.

R. Hoc determinari non potest: aliquando una vice, videlicet, si aliqua necessitas urgeat, ut si mors immineat, si administrandum vel suscipiendum sit sacramentum quod differri non potest, si pœnitens, aliunde recte dispositus, redire non possit; communiter tamen bis aut ter audiri debet pœnitens, et certe pluries si ex confessione ejus prudenter timeatur ne adhuc peccata mortalia omiserit, vel rudimenta religionis nondum percaleat, vel sufficientem non habeat dolorem, aut a consuetudine peccandi non adhuc sufficienter recesserit, etc. At increpandi sunt confessarii qui sine gravi motivo pœnitentes diutius protrahunt, eosque periculo deserendi confessionem exponunt.

§ VII. — De manifestatione complicitis aut alterius.

Sensus præcipuæ quæstionis est, an pœnitens qui proprium crimen confessario aperire non potest quin complicem ei manifestet, ab integritate confessionis excusetur: v. g., aliquis cum sorore confessario nota concubuit, teneturne incestum hunc declarare? Huic quæstioni altera subjungitur, an videlicet pœnitens culpam declarare teneatur quæ peccatum alterius non complicitis et confessario noti revelaret: v. g., sororem meam, ex facto alterius gravidam, vulneravi, vel de patre meo detraxi, diceus eum adulterium commisisse; teneorne integre confiteri, licet tunc infamiam sororis aut patris confessario aperiam?

His quæstionibus tertia annexa est, an videlicet pœnitens diffamare possit complicem vel alium, ob causam ab integritate confessionis diversam; et quarta, an confessarius exquirere possit nomen complicitis vel alterius.

Certum est a revelatione peccati complicitis, quantum commode fieri potest, abstinendum esse; quia 1° propria et non aliena peccata sunt objectum sacramentalis confessionis: 2° detractio facta sine justa causa, pejor est in confessione quam extra confessionem, ratione sacramenti cui fit injuria. Unde graviter increpandi sunt pœnitentes

qui inter confitendum peccata aliorum narrant, detrimento illorum se excusant, vel complices sine ratione sufficienti nominant.

Attamen, 1° qui confessarium cui complex sit ignotus commode adire non potest, et proprium peccatum sine manifestatione complicitis aperire nequit, ab integritate confessionis non excusatur. Nam 1° infamatio non est gravis respectu complicitis, cum revelatio soli fiat confessario qui strictissimo tenetur secreto, et hac cognitione nullo modo uti potest. 2° Sufficiens datur causa hanc infamationem faciendi, scilicet integritas confessionis: illa quippe infamatio fieri posset ad petendum consilium: ergo et ad satisfaciendum præcepto divino. 3° Complex, peccatum proponendo vel ei consentiendo, tali diffamationi consensisse censetur; præsumere enim debuit, saltem communiter, socium peccatum hoc confessurum eumque confessario manifestaturum esse. Ergo. Ita *S. Bernardus*, *S. Thomas*, et post ipsos nunc communissime theologi. Id tamen non liceret ordinarie ad manifestandum peccatum veniale aut mortale rite confessum, quia sufficiens non adesset ratio grave crimen alterius revelandi: sic *S. Liguorius*, l. 6, n. 489, et plures apud ipsum.

Diximus *qui confessarium cui ignotus sit complex commode adire non potest*; omnes enim fatentur pœnitentem qui alienum confessarium commode adire posset, non excusari si complicem confessario suo manifestet; ratio patet, et simul omnes docent eum sub gravi incommodo non teneri alienum exquirere confessarium, admittuntque sequentes excusationes, scilicet: 1° periculum mortis vel præceptum urgens annuæ confessionis aut communionis; 2° timor infamiæ ob missæ vel communionis omissionem; 3° desiderium e statu peccati mortalis sub brevi tempore emergendi; 4° notabilis difficultas conscientiam alteri quam confessario ordinario aperiendi; 5° metus ne mutatio confessarii quamdam suspicionem inducat; 6° necessitas vel magna utilitas percipiendi consolationem a pio vel docto confessario, quæ ab alio non speratur, etc.

Notandum tamen 1° graviorem requiri causam pro gra-

vitae criminis alterius manifestandi; sic major necessaria est causa ad manifestandum sororis incestum quam tactus minus impudicos.

Notandum 2^o levissimam excusare causam, si complex debeat ipse peccatum eidem confessario aperire.

Notandum est 3^o, in frequenter contingentibus, v. g., ubi de peccatis inter conjugatos vel inter alias personas vicinas, affines, consanguineas, praesertim sub eodem tecto manentes agitur, poenitentes solitos esse complices statim indicare, nec arbitramur eos a tali consuetudine avertendos aut ad extraneos confessarios remittendos esse, alioquin parochiani alienis sacerdotibus fere semper confiteri tenerentur; quod sane gravissima generaret incommoda et a mente Ecclesiae prorsus foret alienum.

2^o Periculum manifestandi alterum qui non fuit complex, sed objectum peccati, ab integritate confessionis probabilius non excusat. Nam 1^o confessio fuit instituta ut per modum iudicii exerceretur: sed in iudiciis humanis peccatum alterius non complicitate licite manifestatur: ergo et in confessione; 2^o non gravis est infamia, et notabilis est causa eam permittendi. Ergo. *Ita valde communiter theologi contra Suarez.* Sed observandum est graviorem exigi causam ut poenitens a requirendo alieno confessario excusetur, quam si de complice ageretur.

3^o Juxta communem sententiam, licet, ob legitimam causam ab integritate confessionis diversam, crimen alterius non complicitate confessario manifestare, nempe ob utilitatem poenitentis, vel alicujus tertii, vel societatis, quia sanæ rationi consentaneum est magnum procurare bonum cum levi detractone. Magna tamen utendum est prudentia, praesertim si confessarius, ex licentia poenitentis, extra confessionem agere debeat, ne secretum confessionis in suspicionem veniat.

4^o Confessores generatim nomen complicitate exquirere non debent, et multo minus illius manifestationem, sub denegatione absolutionis, exigere sub quolibet pretextu, v. g., ut eum moneant, in eum invigilent, eum a peccato retrahant. Ita fuse docet *Bened. XIV* in celebri opere, de

Synodo diocesana, l. 6, cap. 11, et tres edidit constitutiones apostolicas, unam diei 7 julii 1745, archiepiscopis et episcopis regnorum Portugaliae et Algarbiorum directam, alteram diei 2 junii 1746, in confirmationem prioris et graves poenas in delinquentes decernentem, et tertiam diei 28 septembris ejusdem anni, qua duae praecedentes ad universam extenduntur Ecclesiam.

Notandum tamen 1^o confessarium, quamvis nomen complicitate exquirere prohibeatur, poenitentem interrogare teneri de circumstantiis ad integritatem confessionis pertinentibus, et poenitentem eas declarare debere; v. g., an peccaverit cum affine, an cum consanguineo, et probabilius quo in gradu, saltem si de proximis agatur.

Notandum 2^o confessarium aliquando revelationem complicitate aut tertii praescribere posse et debere, si nempe bonum notabile id expostulet, quia procurare debet ut poenitens suo satisfaciat officio; v. g., si servus depravatus pueros vel puellas, vel quemquam ex illis, in familia qua eum suscepit, ad malum inducat, confessarius injungere potest, et aliquando injungere debet ut poenitens illud monstrum patri aut matri familiae denuntiet, etc.

Raro continget ut confessarius obligare debeat aut possit poenitentem ad sibimetipsi manifestandum complicein aut alium; id certe non faciat nisi agatur de gravi malo quod praecaveri non possit neque per poenitentem, neque per alium, et quod ipse confessarius praecavendi spem habeat fundatam: in hoc etiam casu maxima opus erit cautione.

§ VIII.— De confessione scripto et per litteras.

Sola attenta sacramenti natura, non requiritur ut confessio sit oralis; nam peccata aliter quam per verba confessario innotescere possunt, scilicet per scriptum, nutus aliave signa: attamen usus et praxis Ecclesiae confessionem oralem determinavit atque sub gravi praescripsit: qui ergo, extra legitimam causam, ab ea praxi recederet, mortaliter peccaret, et ideo defectu dispositionis requisitae, valide absolvi non posset.

Si autem justa subsit causa, ut impotentia physica vel moralis, confessio sacramentaliter fieri potest scripto, nutu vel altero signo : sic, qui gravem habet difficultatem loquendi, peccata scribere potest, eaque confessario hac via manifestare.

Nutibus vel scripto confiteri possunt surdi-muti recte instituti; nullum est dubium quin præceptum, tum divinum, tum ecclesiasticum, eos obstringat, modo peccata sufficienter exprimere valeant, et probabile non sit periculum revelationis. Constat ex dictis confessionem occultorum essentialiter esse secretam, ac proinde neminem, si casus mortis excipiatur, in quo omne dubium, si fieri possit, amovendum est, ad confessionem per interpretem aut cum probabili periculo revelationis teneri; an vero teneantur confiteri scripto, si aliter facere non possint, non conveniunt auctores : quidam negant, asserentes quoddam periculum revelationis semper existere : at cæteri, persuasum habentes tale periculum tolli posse, affirmant, hocque nobis probabilius videtur.

Nunc difficultas est an confessio sacramentalis confessario absenti per litteras fieri possit. Si sola attendatur scriptura, id repugnare non videtur, etenim quid impediret ne peccata per litteras sufficienter aperirentur, dolor requisitus manifestaretur, et sententiâ absolutionis impertiretur? Sic matrimonium inter absentes per procuratores valide initur. Ergo.

Verum traditione constat sacramentum Pœnitentiæ a Christo ita fuisse institutum, ut inter absentes valide administrari non possit; si enim per litteras aut nuntium valide administrari posset, aliquod vestigium hujusmodi administrationis in decursu Historiæ ecclesiasticæ reperiretur : atqui nullum istiusmodi vestigium reperitur; imo contrarium diversis testimoniis adstruitur : unde Conc. Trid., sess. 14, cap. 2, declarat Christum voluisse omnes aliquo crimine inquinatos, *ante hoc tribunal tanquam reos sisti*, quod præsentiam personalem supponit; et idcirco Clemens VIII, die 20 junii anni 1602, sequentem propositionem proscripsit, ad minus ut falsam, temerariam et

scandalosam : « Licet per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absenti absolutionem obtinere. »

Quædam tamen citantur facta absolutionis per litteras concessæ; sed tunc de absolutione censurarum, non vero de absolutione sacramentali agebatur : sic Alexander III S. Thomam Cantuariensem episcopum a præsumptis censuris absolvit, eum pro peccatis ad sacerdotem discretum et providum remittens.

Queritur an qui timet ne peccatum mortale e memoria excidat, illud scribere teneatur.

R. 1^o Certum est eum qui scribere nescit aut impeditus est, non teneri ministerio alterius uti ad scribendum peccatum, quia tunc fieret revelatio ad quam obligari non potest. 2^o Nec illud propria manu scribere tenetur, juxta probabiliorum sententiam, propter periculum ne scriptum alienis oculis subjiciatur, et quia nemo tantam diligentiam ad procurandam integritatem materialem adhibere tenetur. Ita *Billuart*, et plurimi apud ipsum, contra *Vasquez*.

CAPUT QUINTUM.

DE SATISFACTIONE.

Satisfactio generatim est solutio debiti; prout hic specialiter sumitur, *est solutio debiti ex peccato erga Deum contracti*. Alia est divina, qua scilicet Christus, Deus et homo, pro nobis effusione sanguinis satisfecit; alia vero est humana, cujus valor ex satisfactione Christi derivatur, juxta hæc Concilii Trid. verba, sess. 14, cap. 8 : « In quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes » fructus dignos pœnitentiæ. »

De satisfactione Christi hic directe non agitur, bene vero de sola satisfactione humana quæ definiiri potest : *Voluntaria pœnæ toleratio, ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam*. Si a confessario in ordine ad sacramentum injungatur et voluntarie acceptetur, dicitur sa-